



Diuico Tiguri in Heluetia natus, atque omnis generis uirtutibus educatus fuit: præcipuè uerò armis tractandis à feroci populo, qui cū Germanis trans Rhenum habitantes, continenter bella gerebant, instituebatur. Itaque factum ut breui tempore omnes æquales suos fortitudine & prudentia superaret. Eodem autem tempore Romani, qui orbis terrarum imperium animo complectebantur, Galliam inuaserunt, atque Consulem L. Cassium Longinum cum ingenti exercitu ibidem existentem Heluetios bello petere iusserunt. Non enim contenti erant Allobrogum ditionem occupasse, nisi etiam Heluetiam sibi subijcerent, atque demum totam Galliam occuparent. Itaque Heluetij sese huic bello fortiter accingentes, Diuicum sui exercitus ducem constituunt. Is itaque Romanis, hæcenus bello inuictis, spe plenus, obuiam ad fines Allobrogum usque progreditur. Cum autem pugnae potestas facta esset, Diuicus suos milites oratione luculenta ad prælium hortatur, atque fortia facta patrum, in memoriam reuocat. Postea uerò exercitus infestis signis concurrentes, acerrimè conflixerunt. tum autem potissima uirtus Diuici & suorum ciuium Tigurinorum apparuit, qui quarta pars Heluetiæ censebantur. Itaque Cassius Consul cum fortissimo Romanorum exercitu uictus, atque occisus fuit, anno ante natum Christum circiter centesimo, qui uerò ea pugna ex Romanis superfuerunt, magna ignominia à Heluetijs sub iugum missi sunt. Hac clade Romani territi, Heluetijs sua libertate frui concesserunt. Ea autem uictoria sibi Diuicus magnam authoritatem apud suos comparauit.